

thematicam de rebus quae occurrunt cognitionem, ascendendum nobis est.

## SCHOLION I.

§. 14. Praeter viam (§. 12) indicatam specialiores plures ad eandem mentem ducentes dantur e. g. calculus Trigonometricus, Optica, instrumenta varia. Sic Joh. Ern. Eslingi *Mechanici Regii societ. scient. Berol. Berg Compas ad dimetiendas profunditates in montibus & vallibus obuientes; Crux geometrica, cuius structuram & usum peculiari dissert. Jen. 1716. Cl. Jo. Wencesl. Kaschubius dedit, & Quadratum Geometr. quod in Opticis adhibetur, quodque Leuius Hullsius idiomate germ. Nor. 1594. 4. descripsit additis 37. fig. aen. laudari merentur. Nos duabus prioribus viis insistemus in sequentibus, nisi praeter instrumenta notissima, quae ad usum calculi Trigonom. & Opticae praerequiruntur, baculos adhibendos instrumentorum numero velles annumerare.*

## SCHOLION II.

§. 15. Vt de mente mea lectori constet penitius, haec tenenda, specimen dare voluit respondens, se Mathematica didicisse: unde profunda iam non meditor, sed utilia, curiosa, quo ex variis disciplinis exempla prostant. Calculus Algebr. quoniam omnium capui non est accommodatus omissus est studio. Et satius duxi, si variis vnus problematis solutionibus indeque deductis propositionibus, aliquid conferrem ad Altimetriae certitudinem omnimodam, erroresque haud raro obuientes euitandos, corrigendosque monstrarem, quam si inaudita loquerer: quamuis subinde occurrerent noua, vel minimum haud trita & vulgaria. Quo ipso vna clarum, non omnia me prolaturum quae, ad hanc materiam (§. 5. 6.) quomodocunque referri possent. Casus tantum varios proponam, in quibus emendata Altimetria utilitate sua non carebit (§. 4.), totaque tractatio bina comprehendet, quorum vnus errores euitandos, alterum vero corrigendos sistet.

## PROBLEMA II.

§. 16. Altitudinem ad quam patet aditus metiri.

SOLUT. baculum sumas CD oculi tui altitudinem adaequantem, 2) humi prostratus ita, vt cum baculo CD & obiecto A B lineam rectam constituas, plantas ad eundem baculum perpendiculararem apponas, 3) ex oculo O per C ad extremitatem A rectam tibi concipe, iubeas 4, distantia ab oculo ad obiectum B vt mensuretur, quae erit altitudo quaesita. Fig. I.

DEM.